

Jeroni Pau

Barcino

Mariàngela Vilallonga (ed.), *Jeroni Pau: obres*, vol. 1, Barcelona, Curial, 1986.

Ad Paulum Pompilium

[1] Amicorum quosdam fures esse temporis ait Seneca. Tu contra, Pompili, facis; curas enim et instigas ne surripiantur amicis neue negtitiis obruantur. Rogas unum aut aliud, quo temporum mora fructum aliquem litterarum his, quos diligis, pariat; appellasque negotia ipsa impedimenta quaedam philosophiae, et sublimioris exercitationis animi, interceptiones.

[2] Interrupisti nuper per epistolam negotiosas legum actiones, gratissimo rogatu. Cupis enim ut quae de urbe mea eiusque agro et principatu, incolis et situ, deque eorum rebus praeclare magnificeque gestis apud priscos auctores et fide dignos legi, ad te scriberem; addita perstrictim usque ad nostra tempora historia. [3] Quod libens feci, id te exposcente, ut de eruditione taceam, amicorum optimo, placuitque mihi a nostra quanquam labori et uigiliis obnoxia, tamen, ut iurisprudentes uolunt, non minus quam tua, uera atque sacra philosophia ad mitiora et cunctis iucunda studia tui gratia et materiae diuertere, placidiorique exercitio patrium solum ceu praesens mente paulisper collustrare.

[4] Igitur, ut a conditore ordiamur, qui ab Hercule conditam tradunt recentiores, parui momenti auctores habentur, nulla adiuti priscorum auctoritate aut probabili coniectura. [5] Veruntamen ea opinio in uulgus sparsa, fouente iactantia, difficile truditur; unde haud ueterum quidam poetarum huic annexi, Barcinonem Herculeam dixerunt, quod non nulli tamen a cultu Iouis, non a conditore dictum conspicantur, eorumque opinionem ex Macrobiani sententia sed non liquido, ut nobis uidetur, comprobare nituntur, qui ait summum maximumque in Citeriore Hispania Martis numen fuisse, quem ipse ex radiorum ornatu solem interpretatur, eundemque esse et Iouem et Herculem. [6] Quin etiam ad suae opinionis confirmationem extare hodie aiunt uetustos lapides delubri Martis in agro Setabitano, ubi Mars *dominus* ut sol et Hercules appellantur.

[7] Verum ualidior surgit opinio ex his qui existimant ab Hamilcare Barca Poenorum strenuo et sapientissimo duce fuisse conditam, primi belli Punici temporibus; etenim Poeni et Carthaginem in agro Spartario explorata opportunitate insignis portus construxere, ubi exile oppidum fuerat ante a Teucro positum, et plures alias urbes in Hispaniae littoribus. [8] Itaque cum haec tum nomen (nam et *Barcine* etiam a ueteribus est appellata), uel euidenti argumento indicant e familia Barcina fuisse conditorem. [9] Ea Carthagine et per uniuersam Africam clarissimis imperatoribus excellens fuit; quippe qui maximam senatus suae ciuitatis partem ad se traxere, non absque inuidia Gisgonum atque aliorum nobilium factionis aduersae. Originem domus primariam a Barce antiquissima urbe Libiae non nulli existimant.

[10] Sed ne quid huius disquisitionis uel fragiles opiniones omississe uideamur: credidere quidam Barcinonis primordia a Barcilo, urbe Cariae, fuisse, ducti (ut reor) magis similitudine nominis, et Graecorum Asiaticaeque gentis profugis atque erroribus quam ueterum traditione.

[11] Porro primum qui urbis nostrae meminerit reperio Pomponium Melam. Is, Augusti temporibus, inter parua oppida orae Hispaniensis Barcinonem enumerat; sed Plinii Secundi tempore coloniam iam fuisse constat Romanam *Fauentiam*que cognominatam, interque colonias ius quoque Italicum sub diuo Alexandro habuisse, responso Pauli iurisconsulti ostenditur. [12] Diocletiani item tempore per frequentem fuisse urbem legimus, et suburbiis auctam, attrita prius per Germanos sub deside Galieno Tarracone. Diui uero Constantini principatu haud parui nominis et opulentam urbem fuisse ex scriptoribus animaduertere licet.

[13] Ceterum, priusquam insequentia tempora perscribantur, erit opere praetium antiquissimos quosdam ciues urbis nostrae florente in Hispaniis Romana R. P. referre. Scio equidem Romanorum nominum suscitata uetustate gaudebis. [14] L. Licinius Secundus et L. Licinius Sura

ciues nostri fuere, et uterque consul, sed non uno tempore, ut in epigrammatibus legitur; et eiusdem familiae Pl Licinius, notae etiam poetae Marciali probitatis. [15] Fuit et municeps noster C. Publicius Melissus, qui ob causas utilitatesque publicas ex fide constanter defensas, statuum in foro Barcinoni meruit et Quartus uir eiusdem urbis creatus est. Is magistratus ad Seuiratum postea auctus est.

[16] Fuerunt ex ea urbe C. Iulius et M. Antistius Homuntio, et amoenioris ingenii M. Conetius et Caluisius Paulinus. Huic omnibus honoribus in R. P. sua summa cum laude perfuncto etiam statua posita est, curante Sergia Fuluinilla, rarissimi exempli foemina. [17] Sed et huius generis uiro, cui tamen Ilerdensi, Gal. Paulino, qui ab Hadriano Caesare equo publico donatus est, statuum olim positam fuisse Tarracone cum titulo optimi et in R. P. liberalissimi ciuis nunc etiam inscripta marmora ostendunt. [18] Nobilitata fuit et olim monumento clari adolescentis Sp. Pomponii, magistri equitum, qui sub Afranio meruit. Eius epythaphium circumfertur sub his uerbis: «Bello Sertoriano suscepto uulnere a Calagurritano Hitia, quem extemplo fodi, acquirendae ualitudinis causa Barcinonem petii, Aesculapio uota uoui, templum ingrato ut fieret statui. Morte immatura me intercipiente, a ualitudine et aura adolescentem miserabiliter destitutum uides.» [19] Hoc ipsi epigramma alicubi fortasse Barcinoni latens uel iam perditum, minime legimus; sed eius testimonium habemus Cyriaci Anchonitani epigrammatum per orbem sane diligentissimi collectoris, cuius ad nos sex haud parua uolumina peruenerunt. [20] In hac quoque urbe erectus fuit olim fornix a M. Aurelio Antonino Faustinae Augustae, cuius adhuc epigramma in marmore cernitur. Post Constantinum sub Theodosio claruit L. Dexter Historiarum scriptor, praefectus praetorio, cui Hieronymus libellum *De illustribus Christianis* dicauit. [21] Sed nec caruit sanctissimis uiris religionem nostram professis, et qui pontificatum sub primitiuis Christianorum conuentibus in ea urbe prouidentissime tenuerunt. Quorum habentur egregii Lucius, Victor, Aetius, Alexander, Theoticus et mox sub Theodosio superiore Pacianus, cuius adhuc ara colitur, uir ut ait Hieronymus castigata eloquentia illustris, et ab hoc, Seuerus et Idalius; huius sanctissimi senis pauca quaedam per interualla podagrae scripta legimus. [22] Ornauit et haec tempora antistes Olympius, cuius praesigni exemplo C. Paulinus Aquitanicus sacris nostris in hac urbe initiatus ad pontificatum Nolanum assumptus est. Huius extant epistolae ad Licentium poetam, Aurelii Augustini alumnum, religionis et humanitatis plenae.

[23] Assertores etiam usque ad necem habuit sacrosanctissimae religionis Eulaliam uirginem et Cucuphatem Arabem aduenam. Et hos Diocletiani temporibus, qui sub falsa suspitione immissi per Christianos in Nicomedia incendii persequebantur toto orbe insontes. Similis etiam occasio Neronem olim, ut in Christianos aeuiret, mouerat. [24] Sed alia causa Decianae persecutionis fuit, quod ipse Decius Caesar aerarium Romanum spoliatum ab imperatore Philippo adolescente diceret profusionibus factis in Fabianum Christianorum Antistitem. Qua ratione et diuus Laurentius Celtiber, thesauri pontificii et a Fabiano in Xystum transmissi custos, diris uariisque cruciatibus affectus est, et cum sempiterno nomine finem uitae adeptus; cui merito ex Caelitibus soli Roma quinque, quae cernimus, percelebrata templa dicauit. [25] Eodem quoque supplicio indigne necati sunt in hac urbe Anastasius, Ilerdensis uir, equestris ordinis, ex eiusdemque Diocletiani aula, et alii quidam, tametsi non nulli apud Baetulonem oppidum Barcinonis littori proximum occisos tradant.

[26] Sed iam ad temporum seriem reuertamur. Irruentibus sub Honorio et Theodosio in Hispanias barbaris, captaque et diruta a Vandalis eius tractus insigniore urbe Tarracone, succreuit habitatoribus Barcinon. Paruit post haec Goticae genti et Alanis, ut reliqua Hispaniae. [27] Quo tempore Ataulphus, Gotorum rex, Theodosii imperatoris inimicis gener (quia in mores Romanos propter coniugem mitescebat), conspirante clam Vallia dolo suorum ibi interfectus est. [28] Creditur a non nullis uestigia quaedam columnarum et antiquorum rudерum, quae in paradiso sublimiore urbis parte hodie uidentur, sepulchrum olim Ataulphi sustinuisse; pars reliquias arcis, alli porticus arbitrantur. [29] Fama uulgi habet Herculem ibi monumento conditum, quae opinio scriptis Sallustii iuuatur, nam is in Hispania Herculem sepultum fuisse Afris et Iberis persuasum testatur.

[30] At Barcinoni sub ditione Gotica, augescente populo, suburbanae domus constructae sunt,

interque maiores Hispaniae urbes habita est, nam et sedem tum ibi Goti (quae postea Tolletum translata fuit), atque a Lusitania asciri Alani constituerant, idoneam rati ad tutelam Pyrenaei simul et maritimos exercitus inde facile in Italiam uel Numidiae littora mittendos; ex copia item materiae ad construenda nauigia, accedente commoditate extantis tunc portus; quodque Barcino in Baethicam per maritima, uel in Celtiberiam et penitiorum Hispaniam per mediterranea euntibus atque redeuntibus, quasi obuia ad utrunque iter occurrit.

[31] Vnde existimatum est a non uulgaribus propter consistentem tum maxime in ea regione Alanam et Gotorum gentem, inceptos appellari *Gotalanicos* populos, qui nunc *Catalani* dicuntur; et si quidam ab *Augerio* quodam, cognomento Catalone, Germanorum duce dictos fuisse scribant, quem ante Caruli Magni tempora non legitimo exercitu ut Sarracenos pelleret Hispaniam intrasse tradunt, militibusque suis *Catalanorum* nomen indidisse, et paulo mox dum Emporias urbem obsideret occubuisse. [32] Hunc ducem quidam non Germanicae sed Gallicae gentis fuisse ferunt, e Catalaunica regione singulari proelio memorabili. Superiora sane astruere illius temporis scriptores uidentur, qui usque ad Caruli Calui tempora hanc regionem *Hispaniam Gothicam*, et prouinciam Narbonensem *Gallogotiam* appellant.

[33] Sed iam Getarum tempora repetamus. Gothicam deinde gentem post ducentos annos in mores Latinos paene transformata, sed diuturna pace persegnem, plurimoque luxu, et uariis ac flagiciosis etiam libidinibus eneruatam euertere Sarracenorum (quos nunc diximus) et Maurorum permistum genus. [34] Itaque, notissima Rhodorici regis clade, Barcino capta peraeque ut ceterae Hispaniae urbes acerbe quassata est, nam praeter Cantabros et Astures atque Pyrenensium aliquas gentes, quas uix locorum asperitas est tutata, uniuersa Hispania in Mauroarabum ditionem peruenit; mirumque profecto uisum est ut quam Romani prouinciam olim continuis ducentorum annorum et calamitosissimis bellis uix bene subegerant, eam barbari perexigua quindecim mensium mora in seruitutem redegerint. [35] Quinimo nec latis Hispaniae finibus contenti, sed Pyrenaeum transgredientes et Aquitaniam et cuncta inferiora usque ad Arelatem obtinuerunt. Tanta fuit aduersantium siderum ugens potestas uel diuinae potius mentis in degeneres a maiorum moribus populos aperta punitio.

[36] Recepta deinde sub plurimae famae Carulo et Lodouico Augustis, Barcino a principibus gubernari coepit, qui *Comites* appellati sunt, et ciuibus rursus augeri militiam magis quam commertia exercentibus. Quorum praestantia Comites bis a Sarracenis captam Barcinonem receperunt, ac longe lateque, etsi parua manu dominatum auxerunt, continuis bellis innumeros barbarorum exercitus profligantes. [37] Tarraco primum quae a Gotis parum, et a Sarracenis plusculum instaurata fuerat, subinde et Dertosa, commertiis opportuna, et Ilerda, clarae urbes a iugo Mauroarabum per eos liberatae sunt, et Catalanorum nomen uulgatum, quorum Barcinon metropolis fuit semper.

[38] Vtque summam magna et multa perstringamus, a faucibus Iberi Niceam usque sub Alpibus imperium protulere. Sed ne Catalanorum res etiam in Africa et Oriente splendide gestas texere uideamur, quod sequente uita alterius et protensioris erit operis: ad urbem duntaxat nostram redeamus.

[39] Iunctis Aragonensium et Catalanorum imperiis sub Innocentio secundo, conspicua suscepit incrementa, captis praesertim Balearibus, pulsisque a praeculto agro Valentiae Afris, quo tempore pariter mercaturae et militiae intenta Barcino, breuique hostium spoliis et commerciorum lucris amplificata, inter primas Hispaniae iterum et celebriores Europae connumerari coepit continuata usque ad nostra tempora gloria. [40] Siquidem in omnibus et grauissimis bellis, quae in Sicilia, Sardinia atque Italia lateque per orbem a regibus Aragonum feliciter gesta sunt, et naualibus maximi proelii praecipua auxilia Barcinonensium fuere, prorsus nec ullae sine eis partae uictoriae. [41] Auxerunt nomen, facultates, nauigatio et libertas, senatui populoque ab regibus ob ingentia merita concessa. Item religionis et iusticiae obseruantia; ad hoc publicae rei priuataeque cura; laudabili adiuncta parsimonia et conseruatrice imperii concordia, expurgataque in primis ciuitate (uelut dulci rei publicae pernicie) ociosorum incolatu.

[42] Plurima et praepulchra quorundam ciuium nostrorum belli et pacis facinora iam nos,

Pompili, sollicitant ut pandantur; sed ea uberiori operi Catalanicae historiae reseruamus, ad iuridicae gubernationis formam transeuntes.

[43] Post Punicam dominationem, cuius nihil liquidi exploratum habemus, legibus paruit Barcino primum Romanis, quibus per Gotos exactis, intrusae sunt barbarae, lingua tamen Latina promulgatae, in quibus Romanae uti pertricosae atque ambagiosis subtilitatibus inutiles abrogantur, et eisdem inter nationis Goticae homines et Romanos (sic enim tum Hispanos appellabant) coniugia prohibentur, ne feritas gentis, Romani sanguinis commixtione mollesceret, quae sanctio, longo post tempore, mansuefactis barbaris, sublata fuit.

[44] Sub ipsis Comitibus, aliae leges sibtortae sunt, rudi sermone conscriptae, nec sententiis, ut plerisque uidetur, satis coherentes, uacantibus utpote ea tempestate armis, magis quam legibus, incolis; quia manu Comitum omnia paene gubernabantur.

[45] Tum sub Regibus, adulta iam urbe, Romanae leges a Iustiniano digestae restitutae sunt, additis quibusdam municipalibus, quarum studio dediti complures inter primos legum peritos claruere; tametsi pauci, utunque periti, ulla scripta reliquerint, forensibus omnino actionibus occupati, quae acutissime atque exactissime in Barcinonensium foro etiam nunc peraguntur. Accedit grauitas et libratum animi iudicium, quo ci ues nostri praecipue commendantur. [46] Hoc igitur tenore morum et serie legum opibus et gloria florentem ciuitatem nostram pueri uidimus; eandem adolescentes, mutata fortuna, labentem; sed nunc intestinis bellis attritam, opibus exhaustam, ciuibusque infrequentem, dolentes cernimus. Atque utinam senes reuiuiscentem uideamus, quod cura quidem et beneficentia optimi maximique principis Ferdinandi ut eueniat haud desperare licet. [47] Haec bella, luxus et ciuium discordiae partim, quibus opulentissimae urbes periire, partim tenacitas libertatis, licencia principis lesae pepererunt. Summa bellorum ratio haec fuit; nam singulares causas et subinde aerumnas et cruentos annales uelle perscribere non est huius operis.

[48] Quare ad situm urbis transeundum est. Pristini oppidi muri, uetustate notabiles, adhuc integri uidentur paulo editiore parte urbis, cum quatuor duntaxat portis (nunc enim nouem sunt). In illarum turribus capitis bubuli statuae, dum conderetur urbs, positae fuerunt ad pacis et imperii uotiuua signa. [49] Hoc uetus oppidum et quae quondam suburbia fuerunt, illi circumquoque addita, amplectuntur nunc nouem urbis muri, quibus insuper proauorum nostrorum temporibus adiuncti sunt ab occasu alii recentiores muri (quae postea succreuerant pomeria claudentes); redditque uniuersa urbs in plano iacens nouam faciem hemicycli seu C litterae utroque capite apertum aequor tangentis.

[50] Vnde expugnatu difficilior fit exposita per frequentes procellas hostili classe naufragiis, nec facile uel aestate auxilia prohibente; etenim tutius noctu et haud raro per lucem inter numerosa hostium nauigia auxiliarias naues littus urbis subire uidimus incolumes. [51] Mare ipsum et nostra tempestate etiam aduersum ostenditur adflictae urbi, dum soluto ueteri limite, obrutaque littorali area, urbem petit, excauatque muros, et moenia intus aperit. [52] Vnde pulcherrimae aedes tractandis commerciis reponendisque temporariis mercibus, ad littus positae undarum pulsu concussae ruinam timent, et satis difficile est hybernos fluctus insanientis pelagi obicibus arcere. In quo tamen ardenti cura laboratur obiecta immensitate molarium.

[53] Intra urbem templa uisuntur pulchra quidem et egregia, imprimisque plurimo claroque sacerdote ornata. Inter ipsa templa uetusti operis diui Michaelis apparet populari peruigilio frequentatum; quod olim Aesculapio dicatum fuisse non nulli arbitrantur: argumento afferunt pauimento inscriptos angues; ab aliis templum fuisse Iouis existimatur pari primariae urbis religione; nam Tarraco eximio templo et cultu Iouis enituit, et Aesculapio templa non nisi in edito et extra urbes locari solebant. [54] Hoc sane ex monumentis antiquorum lapidum patet Mineruam delubrum habuisse Barcinoni. Haud procul ab urbe Veneris aedes fuisse fertur ubi phanum diuae Eulaliae Emeritensis antiquitate uenerabile a Christianis dicatum fuerat, in quo sepulchra ciuium Romanorum ante demolitionem uidimus, nam per superiora bellorum tempora, ne praesidium hostibus redderet, quod per obsidionem Gallorum euenerat, non absque graui uetustatis dispendio, a nostris dirutum est; sed nuper eodem loco erectum.

[55] Muri et domus urbis ex lapide sunt, qui in monte Iouis ab occasu urbi prope iuncto semper renascitur. Viae in ea non luto sordidae aut porticibus occupatae conspiciuntur, sed nec caelum protectis, subgrundisue aut maenianis obtegitur; proinde nec aedificiorum frontispicia deformantur, quibus multas alioquin percelebres urbes inhonestari comperimus. [56] Mons ipse ad decorem urbis accedit et salubritatem, intercepta palustri aura. Absolutus undique et contra zephyrum erectior cernitur, laeto uinearum et arborum conspectu. Probata in eo rubrica eruitur effosorum olim metallorum, ut multi autumant, index. Nec fontibus caret limpидissimis aut uiuacibus herbis; prospectu uero tam longinquo ut quidam Balearicos montes inde, aegre tamen, sub occasu aut ortu solis cerni contendant. [57] Constans fama tenet ex remanentibus orta uestigiis olim urbi portum reddidisse montem, uentis euro atque austro interque hos medio tutissimum, quibus plaga ualidius infestatur. Hic postea sicus relictus est refluyente longius salo. [58] Ideoque cotonis fabricatio incohata; famam confirmare Arthemidorus uidetur, qui ait Leletaniam, cuius caput est Barcino, portubus frequentem fuisse. Sed et idem uersibus Auieni aperte ostenditur ubi inquit:

«Et Barcinonum amoenas sedes ditium
Nam pandit illic tuta portus brachia
Humetque semper dulcibus tellus aquis.»

[59] In summo montis specula est posita ubi olim phanum fuisse Iouis non pauci consentiunt, nunc aediculas habet annuis ciuium conuentibus iucunde simul et religiose inuisas, in quis proculdubio pulchro fonti uicina praecolitur Iuliano dicata, quam uetustate collabentem, L. Desplanus Archidiaconus, uir claritudine et generosa probitate praenitens, nuper instaurauit; fons ipse non prorsus abolita ueteri superstitione aditur a plebecula fortunae fortis festo, viii Kalendas Iulias, per famam apparentium eo die nympharum, uerbena et filice coronatis.

[60] Interque montem et Rubricatum flumen, quod per septem ferme millia passuum longe ab urbe pelagus ingreditur, palustria loca sunt; frugifera tamen alicubi et pascuis non ignobilia. Fluuius ipse ubi accrescit pontis saepe uel impatiens est, uel mutato cursu fallax. [61] Vrbs amoeno magis quam fertili loco posita est, littore satis profundo, praeterquam ad Tascas. Hae loca sunt contra littus ad octo ferme stadia, ubi arenarum dorsa inhihent atque irritant mare. Vnde extra desurgere naues solent. [62] Duos habet amnes praedictum, ab occasu, et Baetulum, qui et *Baetulo* dicitur, ab ortu fluentem propinquius tenui alueo, sed irrigationibus utili. Vnde riui per fossas et sulcos aquarios decurrunt in praedia terreni et structilis operis, molinas etiam citantes.

[63] Scatent et intra urbem frequentes putei non improbae aquae. Ducitur et aqua ex fonte perenni per lapideos cuniculos in urbem, eque receptaculis et castellis per labra uel saltus in uaria loca effunditur.

[64] Mulierum praeterea peculiaris puchritudo et matronale decus laetiorem ciuitatem reddunt, unde et tenacior manet thorus et soboles fit generosior.

[65] Ambitus est stadiorum circiter xxv. Eadem paene dimensio est Neapolis Italicae; sed Neapolis hodie ciue et aduenis plenior habetur. Vtque Germanicae gentis pulcherrimas sed gelidas urbes relinquamus Florentiam Etruriae clarissimam urbem an pulchritudine et munditiis uincat Barcino iustissima hactenus dubitatio est. Huius sane situm praestantiorem omnino esse propter littus et caeli apricitatem nemo inficiabitur. Ferunt astronomi eam Sagictario suppositam praecellenti Ioui domestico. [66] Interque multa urbis instituta ampliori quam diximus operi inferenda, aedilitiae sunt et mercatoriae leges. Per has iudicium ex bono et aequo et sub compendio redditur a duumuiris qui *consules* appellantur, unde *consulares* leges dactae sunt, quarum hac tempestate non in ea urbe modo usus uiget, sed per cunctas ferme maritimas ciuitates nauticae et mercatorum controuersiae huiusmodi legibus uel ex his depromptis, summa cum auctoritate terminantur; [67] utque Rhodias olim ita plerique nunc per orbem Barcinonias leges appellant. Aedilitiae quoque plurimis et inelytis urbibus exemplo fuere. Criminum animaduersio ciuiliumque causarum notio per creatos a Regibus Magistratus maiori ex parte exercentur, pontificalis fori iurisdictione excepta. [68] Cura frumentaria et R. P. per quinque uiros hodie gubernatur anniuersario munere, adiunctis triginta duobus aut Centum Viris si grauiora

immineant. Ab hoc procerum ordine, admissa etiam nuper in partem senatus plebe decreta emanant. Creditum est hanc popularem admissionem initia ruinae urbis nostrae peperisse, inepta ad gubernationem plebe, insolentia atque indignitate imperandi atque consulendi, tum ad dissidia uel propter inuidiam nobilitatis promptissima, et denique apta magis gubernari quam regere.

[69] Sunt et monetales operumque et aerarii praefecti et scribae, ac plures alii magistratus nulla iniuria historiae tacendi. [70] Habet urbs insigne publicam mensam depositariam fidei, uel alienigenis et ignotis pertinacissimae, nullo periculo culpaue aut mora excusabilis. [71] Illud quoque imitandum quod in multis speciosis urbibus et Romae negligi miramur, in tabellionem Cyurgum et medicinarium admitti neminem nisi probatissimae fidei, examinatique curiosius exercitii, optima certe consuetudine, re fides dolosae aut imperitae manui temere committatur. [72] Necnon et hoc a compluribus laudari uidimus, quod urbem nostram Iudaeis habitare nequaquam licet utpote generi hominum sordido, libidinoso atque impudenti et, nisi seruitute reprimeretur, superbo atque crudeli. Ad haec quod ea gens foenoris aliorumque noxiorum R. P. quaestuum sit profunde consecatrix, quodque ceteros mortalium nescio quo singulari odio dolis atque fraudibus circumscribere conetur. [73] Vnde nec hi quorum maioribus Iudaica origo est (tametsi Christiani nominis et forsitan probi) ad honores et R. P. nostrae aut Tabellionatus uel medicinarum officia admittuntur, existimantibus cunctis perdifficile maiorum mores et uix obliuione generis exui posse.

[74] Sed nec Mahometicae religionis hominibus in eadem urbe (praeter quam seruis) commorari permittitur, ne pura religio aliarum usucaptis superstitionibus deprauetur, neue religionum et cultus in una eademque ciuitate diuersitas, inuidiam, odia, imposturas et dissensiones et clades interdum atque exterminia R. P. pariat. Quod in Antiochiensi et Alexandrina aliisque clarissimis urbibus euenisse qui res gestas legerit facile intelliget.

[75] Magnificant ciuitatem praeterea populorum conuentus totius prouinciae Catalanicae, et urbium oppidorumque contributiones, a quibus urbs nostra, ut nobile caput colitur et augetur, quorum numerum, praeter uicos, plus quadringentorum esse compertum est. [76] Quas referemus regiones et oppida. Clariores habentur Gerundenses et qui Emporitanorum uberem et portuosam regionem incolunt, et his uicini prisci nominis *Ausetani* et *Iannipolae* fullonica noti. [77] Interque conualles Pyrenaeorum Cerretani, antiquissimi Hispaniae populi, in quibus Liuium Salinatorem oppidum condidisse perhibent Sertorii temporibus quod extat, perque Pyrenaeum ueteri Aquitaniae contermini Paliarienses nouae appellationis. [78] Tum Sicoritani aurifero amne perfusi, et sub eis Ilergetani campestris, qui et *Vrgellenses* dicuntur littora olim uersus Leletanos attingentes. In quorum finibus Ilerda, ueteri historia, et nunc litterarum gymnasio clara, posita est, fructifero solo, sed nebuloso per hyemem caelo taxata. [79] At sub Vrgellensibus uersus maritima iacentes, Cumulatii, Albimontani Barbarienses conuallis, Sigarienses et Pratenses habitant, et a latere Ceruarienses, et uarii ac candidi salis fossores Cardonenses. Item Minoricenses cum Modiolanensibus, et iuxta hos, supra Barcinonem, Rubricaticenses; et sub latus Vallenses; [80] atque ad oram Barcinonis, ab ortu Marismi, et uersus Gerundam, syluosi saltus incolae Caprarienses, et aurileguli Tarnicolae interque Barcinonem et Tarraconem, libero praelati oppido, Penitenses, ac deinde quondam primi et maximi Tarraconenses, cum eorum amoeno agro, olim *Suesetano* a magnitudine suum, ut quidam existimauere, dicto. [81] In ipsisque Catalanorum finibus, Dertosani positi sunt, et Ibericenses. Itemque eis Pyrenaeos Catalanici nominis in Gallia Narbonensi habitant Rustinonenses nobilem agrum colentes, quorum hodie insigne caput Perpinianum lanificio pollet. Supraque hos radices Pyrenaei Confluetani sunt, fossilium et fluentium metallorum possessores. [82] His ferme regionibus ac urbibus, et aliquot clarioribus oppidis, haud exactius quam nunc conuenit descriptis Cathalonia clauditur. Horum Barcino princeps est et mater. Quarum gentium tractus in longitudinem ferme centum septuaginta millia porrigitur, latitudinem uero, ubi maior, centum triginta. [83] Ab his olim gentibus deductae ab Ibero amne usque in Baethicam plures coloniae, quarum plane longe clarior, Valentia, et in Balearibus Maiorica regnorum sedes alio opere celebrandae, et ualidum in Sardinia oppidum Calaris, praeterea et in Graecia quondam percelebres Athenae et Zacynthus insula, et Icoesium in Africa Catalanorum coloniae fuerunt. Vnde non temere quidam Valentinus

et Maioricenses horumque regnorum incolas ab origine atque lingua *Catalanos* appellauere.

[84] Superest ut de agro Barcinonensi dicamus. Is ab antiquis *Leletanus* est appellatus. Maiori tractu montuosus est aut distinctus collibus. Ideo non plurimi et ignobilis ut olim, sed ubi cura adhibetur laudati uini ferax, mutata a posterioribus uitium cultura, maturataque ob densitatem musti feruoris mora, fertque oliuae et fructuum paene omnium copiam qui arboribus nascuntur; sed et mellis et frugum; exiguo tamen in frumentis reddito, uenationi quoque et aucupio aptus est. [85] Ex suburbanis salubriora habentur praedia procul a littore propter lacunas et stagna quae Baetulonis et Rubricati hostia circumstant. Ideo si liceat patriam describenti uel minoribus oblectari, laudantur uillae uersus Ortanos Areolum collem et Albaspetas. [86] Syluas habet caeduas complures Barcinonensis ager, quare et materia abunde praebetur structurae nauium. Pinus in eo frequentissima nascitur copioso fructu atque esui pergrato. Arthemidorus Leletanum agrum bonitate praecellentem tradidit; esculenta enim omnia ibi orta sapidissima notantur. Barcinonensis quoque muriae conditura apud ueteres in pretio fuit.

[87] Hodie ut cernis, e Barcineis rebus praeposci Romae solent cultrorum omne genus qui ad mensas, qui ad tonstrinam et cyurgicos, quique ad pugillares et muliebrem quoque mundum pertinent. [88] Sed quid non iam Roma externa uoluptatis ad se trahit?, etenim leuia et praemollia quae *flaccida* appellantur *stragula* ab urbe nostra perferuntur, quo delicatius per hyemem cubare liceat aduehuntur, et inde percandida et uersicoloria uasa uitrea cum Venetis certantia, et exilia quae uocantur *thoralia* ac perpolita corallina. [89] Quod si quibusdam, quae pauca sunt, urbs nostra carere uideatur, ea peregrina nauigatione supplentur. Itaque fit ut habitatoribus uel ad delicias desit nihil.

[90] Habet et aquas calidas Barcinonensis ager in Vallensi regione ab antiquioribus recte memoratas et quas plerique Ceretanis in Ruscinonensi, et his quae in agro Gerundensi sunt, praetulere. [91] Habet et marmoris optimi et auri atque argenti fodinas ad Senium montem quanquam Tarraconenses et Saguntini lapides ad pauimenta meliores et ob caelestem colorem gratiores putentur. [92] Et metallorum effusiones, quae in Feliceto ad pagum Argentarium et Mansiones rubras fiunt hodie Seniensibus notiores sint. Haec sunt loca quae decem ferme milia a Maura oppido Iberi absunt.

[93] Est enim Hispania cum multarum rerum prouentibus felix, tum uel maxime omnium metallorum paene ubique ditissima. Testes fuere olim Poeni et deinde Romani, qui intimis atque supernis Iberiae opibus praecipue adiuti uidelicet metallis, frugibus, materia, lino, sparto, uino, oleo, lana, sale, salsamentariis, corio et equis et pugnacibus denique ac uere uiris diuturna atque ingentia bella per orbem confecere.

[94] Extant etiam nunc pluribus in locis per uniuersam Hispaniam effusionum illorum temporum aperta uestigia superioris et nostrae aetatis negligentiam uel segnitiem accusantia, proinde et quotidie illae querelae ortae; auri ualorem in dies augeri, liquidissima certe causa, cum aurum ubique gentium uel per luxum consumatur, et ubi plurimum gignitur intra fecundissima montium uiscera non sapientiore contemptu sed per ignauiam relinquatur. [95] Ad cuius profecto continuam egestionem non dicam captiuorum sed facinorosorum per prouincias iugem atque ingentem numerum sufficere posse quis neget? Longeque Reipublicae utilius fore ut qui in tenebroso carcere miserabili otio squalent, uel ad remum damnati in adiumenta saepenumero pyratice et scelerum ministeria traduntur, fructum aliquem publicae rei in metallis eruendis aliisque operibus publicis exercendis noxia corpora praerberent. [96] Nec hoc perspicuo exemplo caret, etenim reorum imprimis opera prouidentissima orbis domina muros, templa, porticus et thermas construxit, item portus, theatra, pontes et palatia (quae miramur) aedificauit. [97] Hac ratione Italiam longissimam diuersis uis latissime strauit ac uarios atque altissimos aquarum ductus stupenda longitudine continuauit Appenninumque sexingentorum stadiorum producto ponte urbi coniunxit ut remoti montis pulcherrimos fontes uix accolarum haustu notos quasi captiuos per saltus et aspera montium tractos sibi seruire cogeret.

[98] Sed nescio quo me pacto urbis magnitudo a patria ad se reuocauit. Quare iam finis operi imponendus erit. Haec perstrinximus, Pompili, de urbe in qua editi in lucem sumus, utque amici

genus non ignores honestis maioribus patre Iacobo Paulo iuris consulto (si filius in re non obscura idoneus testis est) consumatae inter opes et gratiam principum uirtutis et doctrinae.

[99] Te nunc inuicem accingi cupio ad id quale ipse me rogasti utque nos strictim de urbe nostra conscripsimus, tu quoque excelsas tuae uel potius communis urbis res insto sed clariori opere absoluas, mihi sufficiat amico simul et patriae quod debedam uel tenuiter exsoluisse.